

ex doctrina apostolica probatur ; est autem inspiratio supernaturalis operatio Dei in hominem scribentem qua fiat, ut Deus ipse sit auctor Scripturæ.

DE DEO UNO ET TRINO.

XVII

Dei personalis ab hoc universo distincti essentiam non modo fide credi, sed etiam citra doctrinam traditam de hac veritate, ex manifestationibus naturalibus rationis lumine certo cognosci posse, indubia est Scripturarum et Patrum sententia.

XVIII

Voluntate *antecedente* conditionata Deus vult omnium hominum, etiam infantium salutem æternam ; conditio tamen ut terminus præ quo voluntas dicitur antecedens non ejusdem est rationis quoad infantes ac quoad adulti.

XIX

Divina natura et essentia una est unitate non specifica sed perfectæ singularitatis ; personæ autem divinæ relationibus originis constituuntur et distinguuntur Paternitatis, Filiationis, et Processionis a Patre Filioque.

XX

Spiritus Sanctus a Patre et Filio ut ab uno principio procedit et præter ejus missionem visibilem admitti debet ejusdem invisibilis missio, nominatim ad sanctificationem animarum.